PONTIFICEM Roman. cum suis coniuratis, esse manifestum hostem cùm Dei, tum Imperij: & ideo iure ei resistendum.

AVTHORE CHRISTOPHORO *Thrasybulo.*

Psalm. 10.

Exurge DOMINE Deus, & exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum.

Contere brachium impij & maligni: quæretur impietas illius, & non inuenietur.

Psalm. 55.

Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te.

Veniat mors super illos, & descendant in infernum uiuentes: quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.

BASILEAE.

PONTIFICIA
COMILLAS, CUEN

CANDIDO ET PIO LECTORI, CHRISTOPHORVS *Thraſybulus* S.

QVemadmodum uulgo dici ſolet, ac uere, Lupus pilum mutat, nõ animum: ita certo certius eſt, diabolum perpetuò ſui ſimilem, nec unquam ocioſum eſſe: & hoc unum omni ſtudio dies ac noctes conari, ut perturbet, labefactet, corrũpat & euertat omnia quæ diuinitùs tam in Eccleſia, quàm in Politia ſalubriter ad utilitatem humani generis ordinata & inſtituta ſunt: in primis ſanam & puram Euangelij doctrinã de filio Dei, & omnes qui eam ex animo amplectuntur, colunt & profitentur.

Animaduertit enim ueterator ille, fraudes & impoſturas ſuas hoc modo detegi, frangi & euerti. Idq; facit per organa ſua, nõ ſolum inſidijs, occultis artibus & dolis (ut eſt mille

artifex) sed etiam armis & aperta ui, sicut omnium temporum historiæ testantur: & nos ipsi uidimus & experti sumus his aliquot annis, non sine summo tum animi dolore, tum graui iactura fortunarũ, capitis & famæ.

Et quemadmodum annis superioribus excitauit & accendit quosdam tyrannos Pontificios ad delendum hoc genus piæ doctrinæ, quã Deus Germaniæ nostræ per reuerendum uirum D. MART. LVTHERVM electum organon suum singulari benignitate, nullo nostro merito, clementer restituit, & donauit, repurgatum ab omnibus Antichristi Romani sordibus, idololatrijs, superstitionibus, sacrilegijs & impietatibus: ita nunc eandem telam retexit, non contentus, quòd hactenus politicum statum intestinis bellis & latrocinijs scelestè labefactauit, & Ecclesias optimè constitutas impiè deformauit doctrinæ corruptelis: adeoq; mouet etiam-

tiamnum omnem lapidem, ut creaturam suam, Pontificem Rom. abominandum illud idolũ, specie pietatis, & fucis ad eam rem idoneis paulatim in integrũ omnino restituat per eos, quos minimè decet & oportet.

Non enim obscurum est, etsi maximè occultetur, quid Romanus Antichristus cum suis mancipijs iam iterum moliatur, quibus modis ac technis quorundam principum animos excitet & accendat, ad extinguendũ hoc genus doctrinę cœlestis, apostolicæ & catholicæ, quod adhuc Dei beneficio purè sonat in quibusdam Germaniæ locis, etsi ualde paucis: de medio tollendos omnes, qui hoc ex animo complectũtur, tuentur, & libere profitentur.

Tentat autem hoc per coniuratos suos, primùm hypocrisi, & oblata nostris tyrannorum beneuolentia & significatione cuiusdam insignis erga nos clementiæ, ne qua suspicio no-

bis oriatur: ut illi nos ſecuros, oſcitantes, & exiſtimantes nihil amplius periculi reliquum eſſe, præter opinionẽ opprimant per Germanos milites, quos conſtat undiq; conſcribi ac colligi uarijs in locis, moto bello iam in Septentrionalibus partibus, cum in Meridionalibus minus ſuccedere uideretur: quo facilius deinde nos imparatos, coniunctis hinc inde copijs, illis omnibus uiribus adoriantur, & in poteſtatem ſuam, ac in impiam & turpem ſeruitutem redigant.

Putat enim incarnatus ille Diabolus, homo peccati, & filius perditionis, quemadmodum D. Paulus eum appellat, hac techna, dum hãc tragœdiam peragere ſtudet per eos, qui titulum magiſtratus gerunt, ut quibus reſiſtere non licet, futurum, ut nemo auſit ſe latrocinijs & parricidijs illorum opponere: præcipuè reliquijs principum & ſtatuum Auguſtanæ confeſsionis quamlibet exiguis, adflictis,

flictis, dissipatis & expilatis: maximè cum non ignoret, quosdam etiam ex nostris, non tam Iureconsultos & alios, quàm Theologos, non omnino probare defensionẽ, quam anno ab hinc nono nostri summa necessitate & officio coacti susceperunt aduersus illum, eius que ministros, satellites & propugnatores.

Et quia tum illis propter ingratitudinem nostram, & morum licẽtiam, improbitate & perfidia quorũdam, ad uoluntatem & uoluptatem omnia ferè successerũt, & præterea non ita pridem Ecclesiæ Romanæ tributaria iterum facta est Anglia, pulcherrimum & opulentiss. regnum, quod Euangelij doctrinam prius amplecti uidebatur: ideo sibi persuadet impurus ille leno, glyriũ rex, hoc occultũ, uiolentum & cruentum, imò diabolicum institutum etiam nunc ex animi sententia prosperè processurum.

Sed minimè cogitat, non esse consilium

silium contra Dominum: & eum qui in cœlis est, eos irridere, qui se Christo opponunt: & locuturum aliquando cum eis in ira sua asperrima uoce, quæ montes concutit, ac durissimas petras conterit: & perturbaturum eos, eorumq; consilia, sicut hactenus aliquoties egregie fecit: nec dubium est, quin benignissimus Pater noster cœlestis, propter filium suum idem posthac facturus sit, etsi nos indigni sumus: modò nos animo pœnitentiam agamus, doctrinæ puritatem & constantiam in confessione retineamus, ac pijs precibus instemus, nec ullas eius corruptelas admittamus, amplectamur, atque probemus, etiamsi cœlum ruere uideatur.

Insaniant, grassentur, & cœlum terra misceant, superbi & furiosi Gigantes illi, minitentur ac conentur Deũ è sede sua deturbare: quid tum postea? Nihil hoc pios ualde perterrere

rere debet. Quid enim est homo, sicut prouerbio uerè dici solet, nisi bulla, quæ citissimè perit & euanescit: imò nihil nisi uanitas: quemadmodum Psalmus dicit. Pergant sanè quã diu uoluerint illi rabiosi parricidę, & quatenus hoc Deus (sine cuius uolũtate ne capillus quidẽ unus è capite nostro cadere potest, ut Christus asserit) eis permiserit. Qui utique iudex est adhuc in terris, & constituit illis furijs certam sæuiendi metam, quam egredi nullo modo poterũt, etsi maximè cupiant: suoq; loco & tempore retrahet & confundet eos, ita ut perficere nequeant id quod tantopere moliũtur & conantur: & ad extremũ sumet de eis quoq; grauissimum & acerbiss. supplicium, sicut omniũ ætatum historiæ testantur & minantur, præcipuè Sennaherib rex Assyriorum, Esai. 37 & Psalmus in hęc uerba dicit: Priusquam spinæ uestræ crescunt in rhamnũ, sic uiuentes absor-

bet eos ira. Lętabitur aũt iuſtus, cum uiderit uindictam, & lauabit pedes ſuos in ſanguine impĭ: ac dicet homo, utiq; eſt fructus iuſto, utiq; Deus eſt iudicans in terra. His grauiſſ. comminationibus, & ſuauiſſ. promiſſionibus interim ipſi nos ſolemur, & egregiè cõtemnamus inanes illorum minas: certi, has allaturas eis certum exitium, & extremum interitum.

Sed ut bonæ mentes intelligãt, ſi fortè res propter ingratitudinem noſtram ad arma ueniat (quod Deus clemẽter auertat) & neceſſaria defenſio ſuſcipienda ſit à Magiſtratib. & Principibus noſtris aduerſus latrocinium Antichriſti Romani (hic enim omnium hereſeũ, motuum & bellorum autor & caput eſt: alĭ ſunt eius miniſtri, ſatellites ac milites) quales ſint Pontificĭ: quorum impietatem & tyrannidem hodie quidam hypocritæ & apoſtatæ paulatim in integrum reſtituere conãtur, eamq; gna

toniſ-

toníſmis & cõciliationibuſuis non parum iuuant, cum tamen illi ſicarij nihil aliud parturiant, cogitent, & conentur, niſi puram Euangelij doctrinã, quæ ſonat adhuc in Eccleſijs noſtris quamlibet paucis, extirpare, non tam falſis dogmatib. & technis, q̃ armis & latrocinijs: nec unquam patientur ſe ab his cruentis & diabolicis conſilijs auelli, tantiſper dum ea perfecerint: etiamſi fortè iam impediti & retracti fuerint, aliud de eis nemo cogitet ac ſperet. Iam olim enim ita certò ſtatutum eſt ab illis, etſi, quemadmodum poeta dicit, Parturiunt mõtes, naſcetur ridiculus mus.

Ideoq̃ collegi abhinc quinquennium breues ac nudas aliquot propoſitiones ſeu θέσεις, accommodatas ad hæc tempora: quibus ſtatuo, Papam Antichriſtũ Rom. cum ſuis coniuratis eſſe manifeſtum hoſtem Dei & Imperij: itaq̃ nobis defenſionem aduerſus notoriam uim & iniuriam illorum

illorum latronum iure licitam, imò Principibus & Magistratibus omnibus à Deo grauissimè mandatã esse. Quas aliquando copiosius explicatas, testimonijsq; diuinis et humanis confirmatas edam, si, Deo uolente, uiuam, & res ita postulare uidebitur. Speramus enim extremum iudicij diem, et glorioſum ac pijs lætum aduentum Christi unici seruatoris nostri rebus & malis his omnibus consulturum, nos'que liberaturum, & hostes unà cum hypocritis & apostatis, qui resipiscere nolunt, ad inferos præcipitaturum. Quod ut breui fiat, hoc omnes, qui ueræ pietatis amantes sunt, omnibus uotis & gemitibus ex animo debent optare, ac sedulò precari. Bene Vale. Biturigibus, in Gallia.

1556.

PONTIFICIOS ESSE MANIFESTOS HOSTES Dei & patriæ:

THESIS

1.

CErtißimum eſt, uerè ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam Chriſti, congregationem eſſe Chriſti fidelium: hoc eſt, uiſibilem cœtum, etſi paruum ac miſerum, in toto terrarum orbe diſperſum, in quo purè ſonat Euangelium de filio Dei, non contaminatum humanis traditionibus: & Sacramenta diuinitùs inſtituta piè ac rectè adminiſtrantur & uſurpantur. In quo tamen cœtu multi hypocritæ & mali admixti ſunt, de doctrina conſentientes cum uerè pijs, etſi non ſunt uiua, ſed putrida membra Eccleſiæ.

2.

Sunt igitur in externa ſocietate Eccleſiæ tantiſper, dum per excommunicationem, quæ eſt altera clauis Eccleſiæ, ligandi ſcilicet, nõ minus neceſſaria (quod attinet ad conſeruandam externam diſciplinã) atq; abſoluendi, ritè iuxta Chriſti mandatum excludantur.

3.

Certum eſt, eos qui ſanam Euangelij doctrinã oppu-

oppugnant & persequuntur, & aliam quàm quæ nobis à Christo per Prophetas & Apostolos tradita est, comminiscuntur, spargunt ac defendunt, non esse in Ecclesia Christi, ac ne quidē in externa eius societate: sed esse falsos Doctores, tyrannos & lupos rapaces, qui miseras oues laniant & mactant: à quibus Christus nobis cauendum, grauiter & fideliter præcipit.

4.

Certissimum est, uerè sanctæ catholicæ Ecclesiæ caput & fundamentum unicum esse, non Papam (qui sibi primatum in ea uendicat) sed solum Christum Dei filium, qui eam sibi fide desponsauit per Euangelium: sanguine suo redemit à tyrannide peccati, mortis & Diaboli: ab omnibus sordibus repurgauit per Baptismum, et sanctificauit, omnibusq; bonis suis & Spiritus sancti donis ornauit: non propter ullam operum ipsius dignitatem, sed gratis fide, quæ promissam & oblatam in Christo misericordiam per Euangelij uocem accipit.

5.

Ad hanc ergo ueram Ecclesiam Christi debent se omnes adiungere, qui ex animo cupiūt certò salui fieri: eam ut matrem, quæ nos Christo per Euangelium genuit, amare: huius uocem, quæ non est alia quàm Christi sponsi sui uox, audire, fide ample-

amplecti, colere, tueri, conſeruare periculo capitis & fortunarum: nec patiſc ab ea auelli ullis aut comminationibus, aut pollicitationibus, etiam ſi cœlum ruere uideatur. Hac enim amiſſa, nulla ſpes ſalutis amplius reliqua eſſe poteſt.

6.

Certum eſt, Principes eſſe patronos, aduocatos & nutricios uerè ſanctæ Eccleſiæ Chriſti, quam ex officio defendere & conſeruare tenentur, non eam oppugnare & euertere.

7.

Item certũ eſt, omnes uerè pios, qui ſinceram Euangelij doctrinam amplectuntur & profitentur, eſſe Chriſti & inter ſe membra. Et ideo eos qui pios perſequuntur, Chriſtum Dei filium perſequi. Iam uerò, quemadmodum Chriſtus caput noſtrum afficitur noſtris malis, & nobis adeſt: ita nos quoq; debemus inuicem affecti eſſe, et alij alijs adeſſe tum conſilio tum auxilio, quantũ poſſumus opera, facultatibus, ipſa deniq; uita. Quod qui nõ faciunt, cum poſſunt, eos non eſſe uiua membra Chriſti certum eſt.

8.

Certum eſt, Eccleſiam Rom. non eſſe Chriſti, ſed Antichriſti ac diaboli Eccleſiam: Lernam & latrinam omnium impietatum, idololatriarum, ſuperſtitionum, hæreſeũ, ſacrilegiorum: ſcortum diabo-

diaboli, uastatricem uerae Ecclesiae, politiae & oeconomiae: Meretricem illam, cum qua reges & Principes terrae scortantur. Quae si unquam fuit traducenda, suisq; coloribus depingēda: certè traduci, ac uiuis coloribus depingi debet hoc tempore, quo manifestam suam impietatem, idololatriam & tyrannidem, non solum fuco tegere, quasi nunquam quicquam peccauerit, sed etiam armis defendere, & in integrum restituere conatur per impios tyrannos & parricidas.

9.

Debent igitur omnes qui uolunt esse uerè pij, se quàm primùm ab ea separare, eamq; tanquam nocentissimam pestem fugere: tantum abest, ut se cum illa uel minima quidem in re, praesertim hoc tempore, coniungere et conciliare debeant, ne quā impietatis maculā contrahant, & participes fiant scelerum & poenarum eius. Apoc. 18.

10.

Certissimum est, Papatum esse caput, Turcam uerò membrū et partem Antichristici regni: & Papā ipsum Antichristū, filium perditionis, et hominem peccati, sicut Paulus loquitur, acerbissimū hostem filij Dei, & sincerae doctrinae Euangelij: quēadmodum omnia eius scripta & facta testantur.

11.

Hunc ergo cum omnibus suis membris omnes uerè

uerè pij mandato Dei debent ex animo odiſſe cane pius et angue, perſequi, oppugnare et euertere, tanquam hæreſiarcham, et nocentiſſimam Eccleſiæ peſtem: imò tanquam incarnatum Diabolum, autorem omnium mendaciorum & tyrannidis in Eccleſia, quibus modis poſſunt: armis non ſolum ſpiritualibus, ſed etiam carnalibus. ſicut ſcriptum eſt: Perfecto odio oderã illos, &c. Et iterum: Mane perdã omnes impios de terra. Et: Reddite illi, ſicut et ipſa reddidit uobis: & duplicate duplicia, ſecundum opera eius, &c.

12.

Quod qui non ſumma diligentia & fide facit, ſed illum, au illius actiones, dogmata & ſtudia uel manifeſtè probat, uel ſaltem non improbat, ſed diſſimulat, & uult aut eſſe neutralis, aut in utranq; partem claudicare: ille non eſt, nec eſſe poteſt uerè pius, utut Euangelij nomen in ore ferat, multa de beneficijs Chriſti garriat, & iactitet ſe Chriſtianum eſſe. Qui enim non eſt Chriſti, ille eſt Antichriſti. Et Chriſtus ipſe dicit: Qui nõ eſt mecum, contra me eſt.

13.

Impius & irritus eſt igitur omnis conatus & labor eorum, qui conciliationes & pacificationes inter Papiſtas et Lutheranos (quos ita uocãt) hoc tempore inſtituunt. Cum inter Chriſtum & Sata-

nam nulla unquam uera & firma societas & concordia possit ac debeat miri. 2. Cor. 6.

14.

Certum est, Papam nullam ueram administrationem habere, nec Ecclesiasticã, nec politicam, nec œconomicã: sed esse beluam illam, cuius mentionem facit Daniel, omnia uastantem, quæ diuinitùs instituta & ordinata sunt. Quæ res præter Scripturã sanctã, testẽ habet etiam experientiã.

15.

Certissimum est, Papam unà cum impijs Episcopis, sacrificulis, & monachis, esse præcipuum autorem omnium discordiarum, motuum, tumultuum, & bellorum intestinorum in Imperio, omnisq; persecutionis ac tyrannidis, quæ iam in Germania propter studium ueræ pietatis & religionis nostræ Christianæ passim exercetur à Pontificijs tyrannis, in homines pios & innocentes, indicta causa, et pendente appellatione contra Deum & omnia iura, contra leges & constitutiones Imperij, adeoq; contra proprium ipsorum iusiurandum, quo Deo & Imperio obligati sunt.

16.

Est quoque certissimum, ius naturale uerè ius esse diuinum: hoc est, notitiam legis diuinæ de moribus, & de discrimine honestorum & turpium, naturaliter insitam menti humanæ, etsi peccato

originis

originis aliqua, imò magna ex parte ſit obſcura.

17.

Certum item eſt, Euangelium approbare & confirmare omnes legitimas ordinationes et leges magiſtratuum. Ro. 13. & Matth. 22. quibus licet uti pijs, tanquam alijs bonis Dei creaturis, modò piè, & cum gratiarum actione.

18.

Hoc quoq; certum eſt, omnem ordinatam uindictam, & legitimam defenſionem aduerſus manifeſtam uim & atrocem iniuriam, iuris eſſe naturalis, unicuiq; permiſſam, & magiſtratui grauiſſimè mandatam à Deo, contra quemlibet latronem & graſſatorem, qui uim iniuſtam infert, ſiue is ſit ſummus, ſiue infimus, priuatus, aut titulo magiſtratus ornatus. Nemini enim, & ne magiſtratui quidem licet, aliquid iniurioſe facere.

19.

Certiſſimum eſt, ijs qui conſtantes in confeſſione puræ doctrinæ Euangelij Dei beneficio manẽt, nec uolũt nec poſſunt idololatricos Antichriſti Ro. cultus, iam olim in Eccleſijs piè cõſtitutis abolitos, recipere ac probare, nullã aliam ob cauſam hoc tempore bellum inferri, quàm propter religionem uerè Chriſtianam: etſi aduerſarij conentur alias non cauſas, ut cauſas, adfingere.

20.

Certum est quoq;, Cæsarem, ut Cæsarē nō esse, nec esse posse personā illam, quæ nobis i[illegible]e poßit aut debeat inferre bellum: cum nullam iustam & legitimam causam aduersus nos habeat. Omnes enim politicæ cōtrouersiæ iampridem inter ipsum & nos compositæ & transactæ sunt.

21.

Hoc quoq; certißimum est, nec Cæsarem, nec Papā, aut ullam creaturā habere ius, uel minimū aliquid in religione nostra Christiana constituendi, ordinandi, præcipiēdi, mutandi uel abrogādi, cōtra uel extra uerbū Dei: & si quid huius tentatum fuerit (ut certè iam fit) pro anathemate haberi debet, quisquis ille fuerit: tantum abest ut ei parendum sit.

22.

Certum est, magistratui pro libidine mandanti quod est impium & iniustum, hoc est, quod pugnat cum Decalogo, uel cum Euāgelio, uel etiam cum legibus Imperij, non esse parendum.

23.

Certum est, magistratus etiam supremi potestatem in imperio Germanico, nō esse liberā, absolutam & infinitam: sed certis finibus & legibus adstrictā, limitatam & cōclusam, secundum quas gubernare, & ex quibus ius dicere debet, nec earum

rum limites excedere: alioqui ſi ſciens perpetuò contrà faciat, non eſt magiſtratus, ſed tyrannus.

24.

Certiſsimum eſt quoq;, Magiſtratum eſſe Dei miniſtrum et ordinationem, ut ſit honori bonis operibus, malis autem terrori. Quod qui uel mediocriter facit, etiã ſi quod ad ipſius perſonam attinet, per ſe ſit impius et impurus: ei tamen ut Dei miniſtro, ſumma reuerẽtia et obedientia debetur, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ut Paulus loquitur. Hoc enim officiũ Deus ab omnibus, & à ſingulis, grauiſsimè requirit.

25.

Certum eſt item, eum qui bonum opus aut impedit, aut prohibet, aut punit, malum aũt promouet, præcipit & honore afficit, non eſſe Dei miniſtrum & ordinationẽ, et per conſequens nec magiſtratũ, ſed potius organũ & cõfuſionẽ Diaboli.

26.

Quemadmodũ autem certiſs. eſt, Diabolo non eſſe parendũ: ita quoq; certum eſt, nec tali tyranno et Diaboli miniſtro parendum, aut quicquã ei præſtandũ eſſe, quod alioqui Magiſtratui, ut Dei ordinatiõi et miniſtro, iure magiſtratus debetur.

27.

Certũ eſt, obligationẽ inter magiſtratus et ciues in Imperio Germanico, mutuã & reciprocã eſſe.

28.

Quemadmodum enim Principes & Status Imperatori nomine Imperij certis cõditionibus obligati sunt, ita uicissim illis Imperator obligatus est.

29.

Certum & hoc est, Imperatoris autoritatẽ & potestatẽ magis pendere ab autoritate legũ, Principum ac Statuũ Imperij, quàm Principum ac Statuum autoritatem ab autoritate Imperatoris. iuxta illud uulgare: Propter quod unumquodq; tale, & ipsum magis tale.

30.

Certum est quoq;, Principes & Status Imperij Germanici nõ esse seruos et mancipia Cæsaris, sed eius assessores, cõgubernatores, et Imperij mẽbra: quorũ consilio Respublica debet administrari non pro arbitrio, sed secũdum ius scriptum, & Imperij leges.

31.

Certum est, Assessores & Officiales (quos uocant) debere magistratum admonere officij, & se contra manifestam eius iniustitiam opponere: nec pati, ut ille pro sua libidine grassetur. Et siquidẽ rectè monentibus obtemperare noluerit, tunc debent ei resistere, et innocentes subditos cõtra uim eius iniustam tueri, quantum possunt. Hoc enim

propter

propter iuſturandum, quo Deo et Imperio obſtricti ſunt, facere tenentur.

32.

Certißimũ eſt, Imperatorẽ eſſe ſupremũ in Imperio caput: ſiquidem ille dignitatem & libertatem Imperij conſeruet, bonos & obedientes ciues ac ſubditos, præcipuè ueram Eccleſiam Chriſti defendat, & malos, impios, & contumaces legitimis pœnis afficiat. Eoq; nomine debetur illi ſumma reuerentia & obedientia.

33.

Cæterùm ſi quid cõtrà facit, hoc eſt labefactat, infringit & perſequitur Imperium, eiusq; præcipuè membra, conatur eos ad manifeſtas impietates & idololatrias, ad ſcelera & flagitia cogere: malos autem & impios honore afficit & defendit: in eo certum eſt, eum non eſſe Imperij caput, ſed immanem tyrannum, uaſtatorem, & hoſtem Imperij, quem omnes fideles Imperij ciues auerſari ac reprimere tenentur, ſiquidem ille ſemel atq; iterũ admonitus ſæuire pergat. Tantum abeſt, ut ullam ei reuerentiam & obedientiam debeant.

34.

Quemadmodum autem certum eſt, Papam cũ ſuis Epiſcopis, etſi teneant ordinariam in Eccleſia ſedem, non eſſe uerum Eccleſiæ paſtorem, imò lupum & uaſtatorem:

35.

Ita certum est, eum Imperatorem, qui cum suis coniuratis assentatoribus & patriæ proditoribus nullum facit Imperatoris officium, sed punit & persequitur bonos & innocentes, exuit & priuat eos facultatibus, ditionibus & honoribus, nullam iustam ob causam, contra Iuris ordinem, indicta causa: malos & nocentes tuetur, præmijs & dignitatibus ornat, figit atq; refigit leges non tam humanas quàm diuinas, contra suum iuramẽtum: non esse Magistratum, hoc est, ordinationem Dei.

36.

Certum est, quòd persona non facit Magistratum, sed officium: quod illa iuxta mandatum, uoluntatem et ordinationem Dei, ac legum Imperij, rectè gerit. Hoc enim magistratum à tyranno discernit, qui etsi speciem, nomen & titulum Magistratus præ se ferat: tamẽ quia non facit ullum officium magistratus, hoc est, non est honori bonis operibus, nec terrori malis: sed impedit, prohibet & punit quod bonum est, mala uerò permittit, præcipit & promouet contra mandatum Dei, & leges regni: ergo non est uerè magistratus, sed ut priuatus aliquis, & publicus graßator & latro censendus est. et per consequens, non est illi non solum parendum, sed etiam resistẽdum ab omnibus, qui boni ac fideles Imperij ciues esse uolunt.

37.

37.

Certum enim eſt, reuerentiam et obedientiam, quæ ſummo magiſtratui præſtatur, ei nõ præſtari, propter ipſius perſonam: non ſecus atq; Turcarũ aut Perſarũ, aut extero alicui Regi ac Principi, cui nos nihil obligati ſumus: ſed propter officium diuinitùs illi demandatum, ſiquidem illud legitimè iuxta mandatũ Dei et leges Imperij gerat.

38.

Certum eſt, quoſdam principes et magiſtratus nõ gerere ſuum officium iuxta, ſed contra, ius naturale, mandatum, uoluntatem & ordinationem Dei, et Imperij leges, adeoq; contra propriũ ipſorum iuramentum. Cuius rei locupletiſſimus teſtis eſt experientia.

39.

Certum eſt, eos eſſe hoſtes patriæ, qui dignitatem & tranquillitatem eius uiolant, & eam armis oppugnant.

40.

Certum item eſt, iure ciuili eum impunè interfici poſſe, etiam à filio patrem, qui ad oppugnandam & euertendam patriam cum armis uenit.

41.

Certũ eſt, tyrannis, qui pro libidine ac conſulto uiolant ius naturale, diuinum, & iuſtas leges, & uolunt homines ad impietatem cogere, nullum

honorem, nullum metum, nullum tributum, nullã obedientiam deberi.

42.

Certum item est, iudici, qui ius dicit, uel supra uel extra iurisdictionem suam, impunè non pareri. Item ei qui contra iuris ordinem procedit, & uim iniustam infert, possunt ac debent Officiales, ut dictum est, resistere, nec pati ut innocentes opprimantur.

43.

Certum est, iudici, qui sentẽtiam ipso iure nullam, & contra iuris ordinem prolatam, ui & armis exequi conatur, iure posse resisti.

44.

Item ei qui manifestè procedit contra leges, et maximè pendente appellatione.

45.

Certum est, eos esse perfidos & periuros, qui fidem datam, et iuramento confirmatam, fallunt.

46.

Certum est item, quosdam in Imperio principes non seruare pacta & promissa iureiurando confirmata.

47.

Certum est, perfidos & periuros esse infames.

48.

Certum est, infamibus clausas esse portas dignitatum.

gnitatum: & ſi quas habent, eas amittere.

49.

Certum eſt item, eos tantum eſſe ſeditioſos, qui magiſtratum ferre nolunt, ſed mouent aduerſus eos arma, & eum è ſede deijcere conantur: quales ſunt Anabaptiſtæ, & ſimiles.

50.

Certum eſt, quòd noſtri magiſtratibus, qui uerè ac reipſa, non titulotenus tantum, et ſecundum quid magiſtratus ſunt, debitum honorem & obedientiam præſtant, & præſtandam docẽt. Idq; propter mandatum Dei, non ſpe commodorum, uel metu pœnarum: quas incurrunt hi, qui magiſtratum uiolant. Tantũ abeſt, ut eos è ſede deijciẽdos exiſtiment.

51.

Certum eſt, non eſſe ſeditionem aut rebellionẽ, reſiſtere tyrannis, qui manifeſtam uim et atrocem iniuriam inferunt.

52.

Certum eſt, noſtros reſiſtere tyrannis, qui dignitatem & libertatem cùm Imperij, tum Euangelij, adeoq; Deum ipſum, eiusq; filium nobis eripere conantur.

53.

Certum eſt, contra priuatum & tyrannum nõ committi rebellionem.

54.

54.

Certum est, quosdam principes & magistratus, hoc ipso quòd manifestè faciũt, quod ad ipsorum officium non pertinet, contra Deum et homines, priuatos & tyrannos esse: quibus nos tantum obligati sumus, quantum Turcarum tyranno.

55.

Certum est, ei qui fidem fallit, non esse seruandam fidem.

56.

Certum est, quosdam principes fidem & Deo et Imperio, eiusq; membris datã, fefelliſſe. Id quod ipsorum facta testantur.

57.

Certum est ergo, principes & status Augustanæ confessionis obligatione, qua illis obstricti fuerunt, solutos esse.

58.

Certum est, quicquid autoritatis, iuris & potestatis tum in Ecclesia, tum in politia sibi sumit põtifex Romanus, hoc omne uideri uult habere ab Ecclesia.

59.

Certum est igitur, Ecclesiam plus autoritatis habere: & per consequens, si uerũ est, Papam habere potestatem etiam deponendi summos principes ac reges, quemadmodum hoc Antichristi monstrum

ſtrum impudenter intonat, & ipſo facto ſæpe declarauit: ergo multo magis poſſe debebit hoc Eccleſia. iuxta regulã, Propter quod unumquodq; tale, & ipſum magis tale.

60.

Certum eſt, etiam confeßione Pontificiorum, Eccleſiam Chriſti fundatam & ædificatam eſſe ſuperſcripta S. Prophetarum & Apoſtolorum.

61.

Certißimum & hoc eſt, Lutheranos (quos uocant) ſummo ſtudio contendere, de uoluntate Dei, deq; religione & doctrina noſtra Chriſtiana tantum eſſe iudicandum ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis: ijſq; ſolis fidendum atq; nitendum, horum autoritatem tantum eſſe ſequendam, non ullius hominis, & ne quidem angeli iudicium & opinionem.

62.

Certißimum eſt quoq;, Papam cum ſuis, ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum acerbißimè odiſſe & perſequi, prophanare, mutare & abrogare pro libidine, contra ſuam ipſius cõſtitutionem & decretum: & in locum illorum, ſua falſa dogmata & ſomnia, ſuas impias & inutiles traditiunculas & nugas obtrudere Eccleſiæ Chriſti.

63.

Certum eſt ergo, Lutheranos eſſe ueram Eccleſiam

ſlam Christi: Papam autem cum ſuis cõiuratis impijs tyrannis, Epiſcopis, Sacrificulis & Monachis Epicureis, eſſe conciliabulum Diaboli, & publicum hoſtem Dei, & uerè ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Christi.

64.

Certum eſt, eum in Imperio Romano gubernatorem eſſe, uel dignitatẽ aliquam habere nõ poſſe iure ſcripto, qui alienus eſt à fide Christi, & à ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

65.

Atqui certißimũ eſt, Pontificios tyrannos non tantum alienos eſſe à uera fide Christiana, nec ullam habere communionẽ cum uerè ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia Dei: ſed eam acerbißimis odijs proſequi, oppugnare, ac funditùs extirpare conari, quemadmodum experientia teſtatur hoc tempore.

66.

Certum eſt, eos tantum eſſe rebelles, qui quid contra Principis honorem, & Imperij proſperitatem committunt.

67.

Certißimum eſt, Principes & Status Auguſtanæ confeßionis nunquam legitimè conuictos eße, nec unquam conuinci poße, quòd uel minimum deſignarint, quòd Principis honorem, & Imperij tranquillitatem

tranquillitatem offendit, imò dignitatem legitimi magiſtratus, & Imperij proſperitatem & libertatem omnibus modis ſummoq; Studio defendendam, & cõſeruandam cenſent, ſtudent, & cõtendũt.

68.

Certum eſt, Pontificios uiolare Principis honorem, & Imperij tranquillitatẽ hoc ipſo, quòd Cæſareæ maieſtatis nomine & fortuna abutuntur ad ſtabiliẽdas & cõſeruandas ſuas impietates, idololatrias, blaſphemias, ſuperſtitiones, libidines, et id genus alia ſcelera & flagitia, ad euertendam ueram religionem, ad opprimendam Eccleſiam Chriſti, ad interturbandam publicam in imperio pacem, ad excitandas & alendas diſcordias inter Principes.

69.

Certum eſt ergo, Papiſtas eſſe uiolatores pacis, rebelles, & hoſtes Dei & Imperij.

70.

Certum eſt, omnes bonos & fideles Imperij ciues, præcipuè Principes, et quibus à Deo datus eſt gladius, in facinoroſos animaduertenti, propter iuſiurandum obligatos eſſe: ut patriam aduerſus eos qui proſperitatem & ſecuritatẽ eius, pacemq; publicam uiolant, omnibus uiribus, quibus poſſunt, defendant. Quod qui non faciunt, ij ſunt patriæ proditores, perfidi ac periuri.

71.

71.

Certum est, in iudicio, quo de rebellione agitur, necessariò requiri iuris ordinem: hoc est, necessariam esse legitimam citationem, cognitionem & sententiam.

72.

Certum est, bannũ, quo notantur ij, qui nunquam ritè citati, multo minus auditi & conuicti sunt, ipso iure nullum: & per consequens, eos iniustè condemnatos esse.

73.

Certum est, eos qui iniustum bannum exequuntur, peccare: & esse dignos ijs pœnis, quæ iure constitutæ sunt: & præterea, nisi pœnitentiam agant, æternam damnationem mereri.

74.

Certum est, bannum contra status Augustanæ confessionis promulgatum, iniustum et iniquum, hoc est, contra leges & ordinem iuris latum esse.

75.

Certissimum est, uasallum & dominum ad paria obligari: nec iure posse nec debere uasallũ feudo priuari, nisi prius legitimè citatum, & de felonia conuictum, uel confitentibus omni exceptione maioribus, uel propria confessione.

76.

Certum est, status Augustanæ cõfessionis nunquam

quam legitimè citatos, multo minus conuictos eſſe. Igitur iniuſtè proſcriptos, dignitatibus et facultatibus exutos.

77.

Certi iuris eſt, licere uaſallo deprædare dominum, qui denegat ei iuſticiam: ergo multo magis licebit ei, ſe defendere contra manifeſtam uim & iniuriam, quam ei dominus infert.

78.

Certum eſt, bellum non propterea iuſtum eſſe, quòd Imperator hoc mouet, aut gerit: ſed cauſæ bellorum conſiderari debent, quæ bellum aut iuſtum aut iniuſtum faciũt, ſi hoc uel ſecundum, uel contra legum præſcripta fuerit ſuſceptum.

79.

Certiſſimũ eſt, huius belli, quod Pontificij contra ſtatus Auguſtanæ confeſſionis ſuſceperunt, & adhuc ſuſcipiunt, nullam aliam cauſam eſſe, quàm quòd noſtri ueram Chriſti religionẽ publicè profitentur, nec uolunt eam deſerere: ſicut etiam non poſſunt aut debent, diſpẽdio ſalutis æternæ, et idololatricos Antichriſti Romani cultus recipere.

80.

Certum eſt quoq;, Principes quoſdam contra propriam obligationem, qua cùm Deo, tum Imperio præſtito iuramẽto ſunt obligati, conari conſtituere monarchiam: atq; ita libertatem cùm Euangelij,

uangelij, tum Imperij Germanici euertere, & ex liberis facere seruos & mancipia satellitum Antichristi, Romani pontificis, incarnati diaboli.

81.

Certißimum est, nulli Principũ aut Statuum, ac ne quidem ipsi Imperatori licere, contra alium mouere bellum, nisi re prius in publico conuentu rite deliberata, consensu et uoluntate omnium ordinum Imperij: quemadmodũ Imperator ipse constituit, & se hoc seruaturum unà cum alijs Imperij principib. promisit, ea obligatione, qua quisque Imperio deuinctus est.

82.

Certum est, hoc bellum, quod Pontificij nostris intulerunt, et adhuc inferunt, illatum esse ac inferri pro libidine Papistarũ, qui sunt aduersarij nostri, non consensu & uoluntate omnium Principum & Statuum Imperij.

83.

Certum est, neminem esse posse iudicem et partem, in una eademq; causa.

84.

Certum est, quòd Pontificij sunt pars in causa religionis.

85.

Certum est, bellum contra Lutheranos susceptum, non propterea iustum esse, aut fieri, quòd à quibusdam

quibuſdam epiſcopis & Principibus Pontificijs, & apoſtatis adulterinis fœtib. adprobatur. Conſtat enim primùm, eos eſſe acerbiſſimos hoſtes Euangelij. Deinde, nõ omnes principes & ordines in decretum illud Auguſtanũ conſenſiſſe (quemadmodum aduerſarij falſo iactitant.) Quod tamẽ neceſſariò fieri debebat, etiam in rebus politicis, ut omnes probent, ad quos ea res pertinet, & maximè in cauſa religionis, quæ communis eſt omnium Chriſtianorum, nulla habita ratione perſonarum. Et ut omnes adprobaſſent, tamen certiſſimum eſt, iniuſtum & nullum eſſe, quod contra ius diuinum & humanum, contra leges Imperij, & contra proprium ipſorum iuſiurãdum ſuſceptum & actum eſt, & adhuc hodie ſuſcipitur et agitur.

86.

Certiſſimum eſt, omnibus pijs, in primis autem magiſtratibus, tam infimis quàm ſummis, à Deo grauiſſimè mandatum eſſe, ut quantum poſſunt, eripiant eos qui rapiuntur ad mortẽ propter confeſſionem Euangelij. Nam eos qui propter maleficia, de quibus legitimè conuicti, pœnis iure conſtitutis afficiendi ſunt, nemini licet è manu magiſtratuum eripere.

87.

Certum eſt, Status Auguſtanæ confeſſionis nullam aliam ob cauſam affligi, proſcribi, bellis atq;

omni genere suppliciorum acerbissimorũ opprimi, quàm propter confessionem piæ doctrinæ Euangelij: quã deserere, atq; ita Christũ Dei filiũ abnegare, & Antichristi Romani cultus idololatricos restituere: Papã ut Ecclesiæ caput, eiusq; primatum agnoscere, & impijs Episcopis pristinam iurisdictionem in Ecclesijs concedere, seq; uel minima quidem in re cum hostibus Euangelij conciliare nõ possunt: nec unquam (auxilio Dei) poterunt & uolunt in gratiam ullius hominis, aut etiã angeli, quamlibet potentis, et in specie sancti. Hoc enim salua conscientia ab illis fieri nequit.

88.

Certissimum esse, nemo sanæ mentis negare poterit, id quod iure uel permittente uel præcipiente fit, non esse iniustum, nec ullam pœnam mereri.

89.

Certissimum est, quòd ius unicuiq; permittit, magistratibus autem præcipit, legitimam defensionem aduersus manifestam uim, & atrocem ac irrecuperabilẽ iniuriam, uniuscuiusq; etiam magistratus.

90.

Certissimum est, uindictam & defensionem, quam magistratus legitimo modo iure magistratus exercet, quæq; fit autoritate legis, nõ esse propriè hominis uindictam et defensionem, sed ipsius

Dei

Dei propriam, cuius ministri sunt magistratus etiam infimi.

91.

Certum est, quòd nostri se suosq; iure defendũt contra furorem Pontificiorum, qui se nõ tam Dei quàm Imperij manifestos hostes, cùm scriptis, tũ factis iam publicè declarant.

92.

Certissimum est, laudari in sacris literis obstetrices Aegyptiacas, quòd impio regis mandato de perdendis Hebræorum infantibus non paruerũt. Item ministros Saulis, qui recusabant occidere sacerdotes Domini. Præterea Ionatan & Michol liberos Saulis, quòd Dauidem persequi ac prodere nolebant, etsi rex & pater ipsorum iuberet.

93.

Certum est, populum Israel Deo gratum officium fecisse, quòd Sauli restitit, qui uolebat pium & magnanimum adolescentem filium suum Ionatan occidere: propter uiolatum impium & stultũ ipsius patris & regis uotum, ac præceptum de ieiunio.

94.

Certum est, commendari Machabæos, quòd armis represserunt impiam tyrannidem Antiochi, etsi Regis sui, qui conabatur instituere similem ubiq; religionem, eamq; Ethnicam, abolitis ueris

Dei cultibus in regno Iudaico, quod tum obtinebat.

94.

Item Ahikam & alios quosdam Principes, qui restiterunt regi suo Ioiakin, præcipienti Hieremiam occidere, ad accusationem impiorum sacerdotum & populi.

95.

Iam uerò certum est, reges Israeliticos plus iuris habuisse in suos, quàm nostri Magistratus etiam supremi habent in ciues, Principes ac Status Imperij. Horum enim potestas est adstricta certis legibus & conditionibus, illorum erat liberior.

96.

Nec est habenda ratio, quòd supremus magistratus hoc bellū gerere, ac præcipuus in eo dux esse uidetur. Quicquid enim huius facit, hoc facit extra, imò contra suum officium, non iure magistratus, qui tum ueram Christi religionem, & Euangelij doctrinam, tum Imperij dignitatem, libertatem & prosperitatem omnibus modis & uiribus tueri ac conseruare, non dehonestare & euertere debet, sicut & iureiurando promisit: sed ut tyrannus & priuatus aliquis, autoritate, mandato ac nomine Romani Pontificis Antichristi, et impiorum episcoporum, quorum idololatriam & tyrannidem in Ecclesia Christi restituere conatur.

97.

97.

Quemadmodum autẽ omnes tam ſummi q̃ infimi, qui fideles Imperij ciues eſſe uolunt, accurrere debẽt, ſi uel Turca, uel Ro. ipſe Pontifex Antichriſtus (qui multo peior eſt) nobis apertè bellum inferret (ſicut certè hactenus intulit, & adhuc infert per ſuos coniuratos, nec unquam ſui ſimilis eſſe deſinet) & eum quibus modis poſſunt cohibere, perſequi ac perdere, & religionẽ Chriſtianam & patriam aduerſus huiuſmodi manifeſtos latrones & hoſtes Dei & imperij defendere, periculo capitis & fortunarum:

98.

Ita quoq;, ſi quis miniſtrorum & ducum ipſorum nomine, ſiue is ſit rex, Cæſar, princeps, aut Diabolus, tale quid tenet, & pios ad manifeſtam impietatem, idololatriã et perfidiam ui cogere conetur: ibi omnes pij cùm magiſtratus, tum ſubditi debent adcurrere, eumq; reprimere ac delere, & innocentes contra latrociniũ defendere, nulla habita ratione dignitatis ac tituli, etiamſi miniſter ille iactitet ſe quoq; noſtrum eſſe magiſtratum, quem alioquin abſq; eo omnes ut caput noſtrum agnoſcere, eiq; obedire deberemus.

99.

Hoc enim caſu non eſt magiſtratus noſter, nec ſupremum Imperij caput: ſed eſt organum Diabo

li, minister & satelles Romani Pontificis Antichristi: cuius nomine talem uim & iniuriam innocentibus infert, propter ueram Christi religionem, quam Status quidam Imperij publicæ profitentur: nec eam amittere ac denegare uolunt, aut possunt, in gratiam Diaboli, eiusq; membrorum, propter incertissimã spem externæ cuiusdam pacis & tranquillitatis: quæ, præsertim amissa sana doctrina, diu consistere nõ potest: quemadmodum sacræ literæ testantur, & omnium præterea gentium historiæ.

100.

Nec refert, quod fortè Cæsar ignorat, hoc genus doctrinæ nostræ cœlestis esse uerã Christi doctrinam. Hæc enim ignorantia neminem excusat, maximè Principem, qui Christianus & Catholicus esse ac uideri uult, omnia iura in pectore recondita habere. Nec Antiochus ille nobilis tyrannus apud Iudæos, sciebat se contra Deum belligerari: sed Maccabæi hoc sciebant. Ideo restiterunt eius tyrannidi, sicut & Armenij Maximino.

101.

Deinde nihil ad rem facit, quòd Imperij Status & Principes Imperatori iuramẽto obstricti sunt. constat enim, eos non absolutè obligatos esse, sed certis quibusdam conditionibus: non propter ipsius personam, sed imperij nomine, et propter officium

ſciũ quod ille gerit, aut gerere debet iuxta mandatum Dei & legum. Et hanc obligationem eſſe mutuam, & reciprocam.

102.

Eſt & hoc certiſſimum, iuramentum non debere eſſe uinculum iniquitatis, nec obligare quenquam in his quæ uel Dei gloriam, uel proximi ſalutem lædunt, & Imperij dignitatem & libertatem uiolant.

103.

Certum eſt, quòd Principum quorundam mandata uiolent Dei gloriam & ſalutem proximi. Iubent enim ea facere, quæ manifeſtè pugnant non ſolum cum uerbo Dei & Euangelio, ſed etiã cum iure naturali & poſitiuo: Deſerere ueram religionem Chriſtianam, quam filius Dei morte ſua nobis peperit, & è ſinu Patris protulit ac patefecit: Recipere falſa dogmata Pontificũ, idololatricos Antichriſti Romani cultus: & perſequi pios & innocentes homines, qui conſtantes in confeſſione ſanæ doctrinæ Euangelij manent. Nullam igitur obedientiam eis debẽt hoc caſu ſubditi, niſi malint abnegare Chriſtum Dei filium, eiuſq; doctrinam, & periuri fieri cùm Deo, tum Imperio.

104.

Et quia Pontificij uolunt impietates ſuas ui cõſeruare, et Eccleſias piè conſtitutas armis cogere,

ut manifestas idololatrias & impios cultus Antichristi Romani recipiant ac probent cõtra conscientiam: & præterea dignitatem & libertatem Imperij deformant ac infringunt, & publicam pacem uiolant: ideo tenentur omnes pij magistratus oppressos defendere, & impio furori ac latrocinio Pontificum & Episcoporum ui resistere, exemplo Maccabæorum, Constantini, et aliorũ piorum Principum in Ecclesia.

105.

Ad quam rem omnes boni & obedientes subditi ac ciues in Imperio, debent conferre, quicquid possunt operæ, facultatum, ipsam denique uitam: nec pati, ut sibi suisq; falsa dogmata, iampridem explosa, rursus obtrudantur, et in impiam & turpem seruitutem impurissimorum lenonum ac latronum iterum conijciantur.

106.

Quod officium Deo gratissimum est, cum pro aris & focis, pro lege, pro grege fortiter pugnatur: si tamen boe etiam rectè fiat.

107.

Neq; enim satis est, causam esse bonam & iustam, scire defensionẽ aduersus atrocem iniuriam omni iure licitam, & magistratui mandatam esse: habere bellorum neruos, magnas copias, præsidia, munitiones, scientiam & peritiam rei militaris,

ris, et ſimilia: quæ etſi non ſunt negligenda nec aſpernanda, ſi Deus ea dederit, his tamen nullo modo fidendum eſt, quaſi ſola ſufficiant ad obtinendam uictoriam.

108.

Et quia uictoria Dei donum eſt, ſicut etiam ethnici quidam homines ſapiẽtes, uſu rerum edocti, dixerũt: Fortunam cùm in omnibus rebus humanis, tum uerò maximè in bellis dominari.

109.

Et certum eſt, quòd in hoc bello, quod Pontificij contra nos iniuſtè mouent, agitur nõ tantum de rebus politicis, & de libertate Imperij Germanici, ſed de religione & cultu Dei: ita ut nobis dimicandum ſit non ſolùm cum carne & ſanguine, ſed etiam cum ſpiritualibus nequitijs in aere, ſicut Paulus loquitur.

110.

Ideo neceſſe eſt primùm, ut certò ſcias, te Deum habere propitium, cui tu placeas, quiq; tua conſilia & ſtudia probet atq; gubernet, ut ſint fœlicia ac ſalutaria. Deinde, ut id quod mandato Dei ſuſcipis, rectè ac piè quoque geras. ſicut ſcriptum eſt: Quod iuſtum eſt, iuſtè exequaris.

111.

Certiſſimum autem eſt, eos non placere Deo, qui ſanam Euangelij doctrinam uel contemnunt,

uel negligunt, & uiuunt in manifestis delictis contra conscientiam: fidunt humanis præsidijs, humana sapientia: sunt usurarij, contumaces, ebrietati, luxui, auaritiæ, libidini, alijsq; criminibus dediti: & admoniti non agunt pœnitẽtiam, sed delectantur adhuc peccatis, & studiose frenum laxant cupiditatibus. Tantum abest, ut eas cohibere studeãt ac uelint: fouent ac promouent eos qui callent se accommodare ad inordinatos hominum affectus, blandiuntur & dicunt nobis placentia: etsi doctrinam Euangelij audiant, in ore habeant, & utantur unà sacramentis, à Christo institutis.

112.

Hos impossibile est placere Deo, sicut scriptũ est: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebũt. Et iterũ: Si secundũ carnem uixeritis, moriemini.

113.

Et quoniam Euangelij contemptus & fastidium, ingratitudo nostra, securitas, intemperantia, morum licentia, disciplinæ uiolatio, & similia peccata, præter quorundam Achitophelum perfidiam, causæ sunt harum præsentiũ calamitatum, quibus Deus Ecclesiam suam tam diu finit affligi: non ut nos perdat, sed ut ad ueram pœnitentiam, ad inuocationem, ad odium peccati, & ad omnia genera piorum officiorum excitet, atq; ita nos emendatos & humiliatos saluos faciat:

114.

Ideoq; ſi ex animo cupimus Eccleſiæ nobis ipſis, liberis, coniugibus, ſubditis, fideiq; noſtræ commiſſis, & poſteris noſtris rectè conſultum, neceſſe eſt, ut has cauſas, propter quas Eccleſia tam grauiter à tyrannis in hac mũdi ſenecta premitur, prius amoueamus, & Deo reconciliemur.

115.

Sed hoc fieri non poteſt, niſi pia pœnitentia, quam ſcriptura S. docet, & ſpiritus ſanctus in cordibus piorum efficit per uerbum. hoc eſt:

1. Primùm, ut agnoſcamus nos inobedientia noſtra Deum grauiter offendiſſe, et ad iram prouocaſſe, ac uerè doleamus de admiſſis.

2. Deinde, ut certò ſtatuamus, quòd Deus gratis ignoſcat & remittat nobis peccata, propter filium ſuum, etſi nos indigni ſumus.

3. Hanc fidem (quæ ſola nos iuſtificat, hoc eſt, acceptos facit corã Deo, nulla habita ratione noſtrorum operum, ſiue ea præcedãt, ſiue ſequantur renouationem) poſtea pijs etiam officijs à Deo mandatis, non à nobis bono motu mentis & proprio iudicio ſelectis, oſtẽdamus: repugnemus prauis cupiditatibus, & tollamus ſcandala, quantum auxilio Dei fieri poteſt.

4. Poſtremò, ut Deo hanc cauſam (quæ non eſt noſtra, ſed ipſius filij Dei propria) omnesq; noſtras

stras actiones ipsius mandato susceptas, ex animo commendemus pijs precibus, quibus uel solis, hostibus pares, imò superiores esse possumus.

116.

Atq; hæc legitimam defensionẽ omni iure permissam, & magistratui mandatã, necessariò præcedant oportet: alioquin omnis apparatus bellicus, quamlibet magnus, omnis labor et conatus, irritus & inanis erit, quemadmodum experientia nos in superiori bello satis edocuit.

117.

Nam quod quidam allegant, estq; uerissimum, nos habere sanam Euangelij doctrinam: ac Papistarum impietatem, iniustitiam & iniuriam, qua nos de illis nunquam malè meritos afficiunt, contra Deum & omnia iura, manifestã & notoriam esse: hoc certè non excusat nostram licentiam morum, ut propterea nobis liceat impunè peccare, et agere quicquid libet, Euangelij prætextu: nec efficit nos innocentes coram Deo, ut illi non liceat nos ingratos et contumaces per impios tyrannos Pontificios, tanquam ipsius flagellum, meritò punire, etsi adhuc ualde paternè: Cum seruus sciens uoluntatẽ Domini, et nõ faciẽs, duplo uapulabit.

118.

Primùm igitur omniũ ex animo resipiscamus, & deprecemur culpam: alioquin & absq; eo nullus

lus medicinæ locus, nulla ſpes ſalutis eſſe poterit.

119.

Quod ſi rectè factum fuerit, ſicut & perpetuò per omnem uitam fieri decet ac debet, non tam ab infimis & popularibus, quàm à ſummis & optimatibus: ibi tum uti licebit ijs mediis, quæ Deus ſuppeditat, in timore & humilitate erga Deum, ac fiducia mediatoris noſtri filij Dei, qui promiſit ſe nobis adfuturũ, nos exauditurũ, nobis præſentem opem laturum, & pro nobis etiam ocioſis pugnaturum, noſq; liberaturum, ſicut uccidit filijs Iſrael ad mare rubrum.

120.

Itaq; re prius cum pijs, fidis, eruditis ac prudentibus bene deliberata, & omnibus quæ ad eam neceſſaria uidentur, rectè diſpoſitis: tum Principes & magiſtratus pij (qui & ipſi quoq; bona pars & membra ſunt Imperij, quibus gubernatio diuinitùs æquè commiſſa eſt, atque omnium ſummis) Imperatorẽ cum ſuis cõiuratis officij admoneant, & humilimè precentur ac obteſtentur, ut ille memor iuriſiurandi, quo tum Deo tum Imperio obſtrictus eſt, ab hoc impio & iniuſto, tyrannico & Diabolico inſtituto deſiſtat, ne Maieſtatem cùm ſuam & imperij, tum diuinam, ita deformare uelit: neq; ſinat ſe Antichriſti Ro. Pontificis & impiorum Epiſcoporum illecebris ac dolis inescari, circumduci,

circumduci, & contra pios & innocentes homines (quos tueri debebat) commoueri: neq; se immiſceat ijs furioſis & Satanicis Papiſtarum negotijs, neq; ſe contaminet parricidijs & ſanguine eorum qui Chriſti membra ſunt: Deum eſſe ſore grauiſſimum uindicem periurij, tyrannidis, & innocentis ſanguinis: & ſi ille pœnas aliquandiu differat. alioquin ſi pergat Eccleſiam Chriſti perſequi, et libertatem Imperij Germanicæ nationis infringere; tum ſe, licet inuitos, beneficio iuris uſuros, & habituros eum ut hoſtẽ & Dei & Imperij, non aliter atq; Turcam & Papam Antichriſtum, cuius autoritate & nomine bellum hoc mouetur.

121.

Qui ſiquidem obtemperet, aut ſaltem impias et tyrannicas illas comminationes et mandata ſanguine tincta, re ipſa non exequatur, ſed patiatur Eccleſias noſtras uti ſana doctrina (quæ eſt communis omnium prophetarum & apoſtolorũ conſenſus) & pia ſacramentorũ adminiſtratione & uſurpatione, iuxta Chriſti inſtitutionem & mandatum: hoc caſu debemus illi, ut Magiſtratui noſtro et ordinationi Dei, omnem debitam obedientiam ex animo præſtare, neq; quicquã mouere, etiamſi ipſe per ſe ſit impius & impurus.

122.

122.

Sed ſi neque precibus neque minis ullo modo flecti poterit, & pertinaciter exequi uoluerit id quod contra Deum & Imperij leges impiè ac iniquè inſtituit ac præcipit: ibi tum excelſis animis in nomine Domini congrediamur cum Diabolo eiuſq; membris & organis: et fortiter pugnemus cum manifeſtis hoſtibus & Dei, & Imperij, non ſtudio uel uindictæ, uel uanæ gloriæ, uel auaritiæ, uel amplificandæ potentiæ, ſed ſumma & inuitabili neceſsitate contra uoluntatẽ noſtram coacti, pro conſeruanda uera religione noſtra Chriſtiana, pro pace, pro miſeris liberis, cõiugibus ac ſubditis noſtris, ut illi rectè de Deo doceri ac liberaliter inſtitui poſsint ad ornandã Dei gloriam, et ad ſalutẽ Eccleſiæ ac Reipub. Chriſtianæ. Melius eſt enim bonum bellum, quàm impia pax.

123.

Ita futurum eſt haud dubiè, ut res pro bona Dei erga nos uoluntate fœlicius ſuccedat: & ſequatur euentus, pijs quidem optatus & ſalutaris, impijs autem horrendus & tragicus.

124.

Quod ut fiat, utq; nos ueram ex animo pœnitentiam agamus, miſericordiam in Chriſto promiſſam firma fide concipiamus, Deoq; gratiſimus pijs officijs: & ut Deus nos ac liberos noſtros

stros in doctrinæ puritate usq; ad extremum uitæ spiritum integros et incorruptos conseruet, ut ea ad posteros quoq; propagari possit: et tandem aliquãdo prostratis hostibus liberet Ecclesiã *suam à tyrannide* Pontificiorũ, *aduentu* Christi *(quem accelerare uelit) propter hunc ipsum filiũ suum.*

Hoc omnes, qui uolumus esse uerè pij, cõmunib. uotis ex animo precari debemus,

Amen Amen.

1551.